

Appendix. — Europa Nro. 36.

Regnum Mortuorum.

Dialogi Politici Mortuorum.

In Elysio 19. Aprilis 1808.

Epicuri de grege porcorum.

Cicero.

Epicurus — Voltairus.

Voltairus: Adfero, quod tibi placebit. — Encyclopedias.

Epicurus: Cur Has.

Voltairus: Volo tuam doctrinam defendere; haec te facit hominem virtuosum.

Epicurus: Cogor ingenue fateri, multo magis laudi futurum erat Philosophis, si me non defendissent. Loquor ingenue, ut sentio. Encyclopedistae tui videntur mihi similes esse Berolinensibus, de quibus tibi aliqua adferam. Si ingenio saeculi (ita dicunt Litterae Berolinenses de 3. Aprilis) quavis notabili Periodo specialis denominatio danda est, profecto aetas praesens nomen *Partialitatis* meretur, qui spiritus verbis et scriptis semet pandit; dicitque: haud speranda esse meliora tempora, si nos infinitum chaos librorum legamus: *Feuerbrände, Löscheimer, Lichtfunken, Feh-fakeln, Brandraquetten*, (sunt nomina librorum) et alii infiniti libelli, omnes id cummine habent, quod igne digni sint. Pro unico granulo veritatis propagant modios partialitatis. Unus calumniatur circa ullam exemptionem contra militiam Borussicam, et multas ejusdem praetensiones relate ad statum civilem, alter jurat vindictam contra statum civium, si aliquando — Galli recedant. Hic demonstrat unus Sacerdos, quomodo praesidia defendi, non vero hosti tradi debeant, ibi autem citat Colonellus Biblia. Hic vult unus civium, Quod officiales in Praediis, aut in campo vel scippos, vel Genaralem, qui Capitulationem inivit, trahere debuissent; ibi vero praetendit miles, ne civilis quidam de rebus militariis balbutiat, nisi colaphum habere velit: Hic hallucinatur unus ad nauseam usque de fastu regulatae militiae, ibi calumniatur alter ad rabiem de militia moderna nationali, quia illa ex omnibus statibus componi-

tur, et quia in cundo pars pedis anterior haud satis extorsum dirigitur; quasi non ex omni statu boni milites formari possent, et quasi exiguum illud exercitium non omnis facile addiscere posset. ita denique fuit semper, et est nunc etiam fatalis scribendi pruritus. — Melior his est descriptio defensionis Principis Asturiae, quam Ephemerides Madritenses de 1. Aprilis exhibent.

Die sequenti, seu 29. Octobris sub mediam noctem convocati sunt ad Regem Minister Status, et Praeses Consilii *ad interim*, qui deciderunt, ut Princeps Asturiae circa intellectum harum Litterarum interrogetur. Princeps, ad Patrem advocatus, custodiae traditus est, quin ullam cum aliquo communicationem habuisset. Eadem ipsa nocte captivati sunt omnes Servitores Principis. Mox die sequenti, seu 30. Octobris Rex, missis ad Marchionem *Caballero* ordinibus, praecepit, ut Princeps Asturiae, et omnes Servientes ejus per totam Monarchiam pro proditoribus publicentur. Mandatum istud, testantibus ipsa Sua Majestate moderno Rege, et 4. Ministris, erat scriptum propria Principis Pacis manu. Eadem die 30. Octobris Princeps Asturiae se extra omnem consilium communicationem videns, putabat, fini convenire, si dicat, se omnia ea, quae fecisset, pro saute Patriae fecisse, ut saltem hac ratione semet e saturo violento captivitatis liberaret. Ideo declaravit eadem die 30. Octob. erga Ministrum *Caballero*: Quod, ad procurandam Patriae suae felicitatem sponte ac ultro semet determinaverit, sibi Principissam de sanguine Dinastiae gallicanae matrimonio jungere velle; et quidem hoc unice ideo, ut confidentiam illam, quam Pater erga Principem *Godoy* haberet, evertere possit. Eodem hoc tempore advenit Princeps Pacis ad Palatium Escorial; et ad ipsum Principem Asturiae, exhibuitque eidem Litteras subscribendas, quibus ab augusto Patre suo veniam peteret; hic nolens denegare hanc filialis obedientiae probam erga augustos Genitores suos, easdem litteras ultro subscripsit.

Princeps Austuriae, et modernus Rex, plene convictus de eo; Duci *Infantado*, et Educatori suo venerando Canonico *Escoiquitz* nullum crimen imputari posse, novam demandavit seriam investigationem, an illis, qui custodiae traditi essent, crimen conspiracy appingi possit? Investiagns haec commissio decidit; nullam vel umbram similis subsumptionis in viros hos cadere; ideo Commissarii votis unanimibus suam tulerunt sententiam.

Gallia.

Parisi 14. *Aprilis*. Legiones, quae in servitiis Reginae *Heatriciae* fuerant, Turinum advenerunt, quas ibidem Generalis *Menou*, lustravit. In majori parte Galliae Meridionalis, et

in Departamentis Transalpinis observabantur repetitae succussiones terrae. In pluribus locis corruerunt aedificia, in aliis plus minus vitiata; ipsum Hospitium in monte Senisio multum exagitatum, audiebaturque murmur subterraneum, quod tonitru simile fuerat; hoc luctantis naturae phaenomen ab hora 6. vespertina usque sequens mane, modo majori, modo minori vehementia percuravit.

Madrito 5. Aprilis. Proclamatio novi Regis in turbatos civium animos plenam revexit quietem. Processus contra Principem Pacis decurrit: Hic nuper adhuc fortunae filius, summis aulae favoribus elatus, adhuc caelos se expugnare posse putabat, hodie detinetur captivus in m. sero pago, haud procul Madrito; frater autem ipseus *Diego* cum assecis detinetur in aliquo praesidio. Generalis Director cassae amortisationis, qui prodigalitatē hujus Principis promovit, est aequē in catenis. Promovit ille clam causam Anglorum, hinc summa est populi tam contra eum, quam contra Anglos indignatio. In certo libello, qui contra eum prodivit, et jam quinque recudi debuit, arguitur idem, quod ille praesidium *Couta* in extremo Africa angulo Gibraltariae oppositum Anglis clam tradere, seque cum ingentibus thesauris suis illuc recipere valuerit; Divitiae ipsius, praeter 25 miliones Librarum paratae paecuniae aestimantur ad enormem summam 500 millionum Librarum. M. Dux Montanus publicavit in exercitu, Imperatorem propediem Madritum adventurum, qui 11. Aprilis Burdegala jam discessit.

In Septentrione. Legatus Sveciae paucis ante diebus Petropoli ad Reval discessit, ubi navim, quae eum abveheret, expectabit. In praesidio *Svartholm* erant 900 Praesidarii, et 250 tormenta; quae in manus Russorum inciderant; Ex Finnia nati domum dimissi, ex Svecia vero oriundi in captivitatem abduci sunt; multa vexilla, quae variis in occasionibus per milites russicos occupata sunt, jam Petropolim in signum victoriae missa. — Virtute Decreti Caesarei, novissime emanati, Medicus Imperatoris Russorum D. Consiliarius Status *Frank* pensione annua 5000 Rubellarum, dum vixerit, donatus est.

Hafnia 5. Aprilis. Circa fatum navis classariae Princeps Christianus, qui nuper cum Anglis imparem sane habuit luctam, et de qua diu nihil certi resciri potuit, id jam nunc pro certo scitur; Heroicum navis hujus Capitaneum *Jessen* in captivitatem anglicam abductum esse; Complures tamen tum officiales, tum etiam milites partim vulnerati sunt, partim occiderunt. — In Svecia summa est activitas, ferventerque ad bellum parantur omnia. Juventus omnis ab anno aetatis 18 usque 25 ad arma provocatur; Maxima Svecorum vis Duce Generale *Armfeld* contrahi.

tur ad limites Norvegiae. Rumor de adventu copiarum anglicarum in Sveciam nactenus verus non est. — Rex Sveciae omnem communicationem cum Russia sub paena mortis interdixit. — A quo Legatus russicus Holmiae captivitati traditus est, declaravit Russorum Imperator Finiam pro provincia, jure armorum occupata, quodve eam Ditionibus suis adjungere velit.

Diarium Politicum.

Praesens bellum inter Terram et aquam, seu inter Insulam Angliam, et Continentem Europae poterit magnam in cursu commercii producere mutationem, imo et ad ipsam Productorum localitatem Detecta; America, et via per Promontorium Bonae spei, contendebant Europaei, ibidem colonias fundare, quia observarunt, ob naturam climatis inter Tropicos, producta longe perfectiora esse; haec fuit causa, quod ingentibus periculis inde producta in Europam advacta, et ex felici Arabia alia eorsum transplantata fuerint. — Experiencia constat, producta sub eodem gradu latitudinis in Africa, Asia, et America ejusdem esse qualitatis, haec est naturalis sequela Geographiae physicae. Cur haec in adeo dissitis regionibus quaeruntur, cum in vicinia haberi possint? Affricam ab Europa separat angustum fretum Herculeum duorum milliarium, quae adhuc propius ad Zonam torridam jacet, quam coloniae americanae. Quare igitur Majores nostri non potius in Affricam transiverunt, ubi omnia producta colonialia haberi possunt, et Hispaniae adeo vicina est? Forte bellum anglicum efficiet nunc, quod dudum jam fieri debuisset, et producta Indica ex Africa aquiremus; Plani hujus ramus fuit jam expeditio in Aegyptum. Ad hoc tamen praecedere debet occupatio Gibraltariae; dura quidem nux; sed quot jam tales nuces intra aliquot annos fractae? Oppugnatio haec mox suscipietur, et si semel suscipiatur, certo etiam perficietur, pro hoc eventu cavent tot jam casus, qui pro impossibilibus habebantur, et tamen acciderunt. Occupata Gibraltaria, et opposita Ceuta in iisdem manibus existente, actum est de potentia Anglorum in his regionibus. Quid si in Affrica coloniae fundentur? Amittet valorem America, et India Orientalis; tunc leviori puterunt haberi merces coloniales, quam nunc a Monopolistis ex India Orientali, et Occidentali. — Sed haec est duntaxat volatilis idea, post aliquot annos plura de his.